

*N. h. II, 138.*

*h. 36, 7.*

X 137 6033

DISSERTATIONEM JURIS PUBLICI

*De*

J U R E  
DIGNITATES CONFER-  
RENDI IN IMPERIO ROMA-  
NO-GERMANICO,

II<sup>k</sup>  
1552

ILLVSTRI SUPERIORVM IN DVLTV

in Celeberrima Salana,

P R A E S I D E

D N. JOH. VOLK. *Beschmann* /  
HEREDITARIO in *Obern-Tröbra* / Jcto.

Antecessore Famigeratissimo, S. Rom. Imp. Exempto, Comite  
Palatino Cæsar. & Cive Romano, Cod. Jur. Publ. Feud. & Novell.

P. P. Confiliar. Saxon. Curia Provincial, Scabinat. ac Facultatis  
Juridicæ Adiesore gravissimo

*Dn. Patrono, Promotore ac Præceptore suo  
omni honoris obsequii-que cultu nunquam non deve-  
nerando*

IN AUDITORIO JCTORUM

*Publico Eruditorum Examine submittit*

JACOBUS FRIDERICUS *Besserer*

Ravensberg Westphal.

*ad diem Decembr. M. DC. LXXXV.*

JENAE, Characterè NISIANO.

*de Jure dignitates conferendi in Imperio Rom. Ger-  
manico. Vol. XXXII. 36.*



JACOBUS FRIDERICUS SEYMANN

Ravenberg Westphal.

JEYNE, Christ etc. N. 1810.



# I. N. D. N. I. C.

ad omnia consilia, omnesq; actus semper progredimur  
l. 2. pr. C. de off. Præf. Præst. Afr.

## PRO O E M I V M.



Sicut in corpore humano caput, ossa,  
caro & membra necesse est, ut li-  
gamento quodam nectantur, robo-  
rentur, & nervis jungantur, quo  
munus suum sedulo expedire valeant: Ita pla-  
ne in corpore politico & civili, caput cum  
membris nisi inter se vinculis & nervis arcte  
combinentur, qui corpus hoc sustineant, fo-  
veant, alant, servent, & a dissolutione libe-  
rent, facile futurum, ut totum corpus corruat.  
Nervi hi sunt legitima præmiorum pœna-  
rumq; distributio: Satis enim non est, ut Prin-  
ceps subditos suos pœnis & Legibus coërceat,  
nisi etiam bene meritos præmiis ornet. Sub  
præmiorum vocabulo privilegia, sub privile-  
giis etiam dignitatum collationem contineri  
putamus, quia Doctores Juris publici discuti-  
entes privilegiorum materiam ibidem etiam  
de jure Dignitates conferendi agunt. vid. Sinolt.

(4)

Schütz Colleg. Publ. Vol. 1. Disp. 3. th. 21. & Bœcler.  
Inst. Polit. Lib. 2. cap. 3. p. m. 129. *Hujus materiae  
dignitatem ulterius mereri, ut publica dis-  
quisitioni subjiciatur, quae ratione id diffiteri  
quispiam possit, non video. Totus propterea in  
eo esse volui, ut materiam hanc & controver-  
sia & splendore suo illustrem pro ingenii modu-  
lo & tenuitate exornare, & quidem speciatim  
de jure dignitates conferendi in Imperio nostro  
Romano Germanico agere. Felicitati summa  
in super mihi fuit, deprehendere facilem Ma-  
gnif. Domini Praesidis aditum, dum ejus ad has  
studiorum meorum primitias pro tenuitate inge-  
nii ac virium defendendas publicum observan-  
tissimè exoravi praesidium. Superesse ergo nihil  
censui, quàm ut ad ipsius rei tractationem me  
accingerem. Sequutus tamen prius laudabilem  
antiquorum morem rei pertractanda initium  
à Divini Nominis invocatione capessere vo-  
lui; Annuere ergo dignetur proposito nostro  
Clementissimum Numen, quo cedat feliciter!  
Sis ergo.*

Tracta-



## CAPVT PRIMVM.

### *De Jure Dignitatum conferendarum in Imperio Romano Germanico in genere, in specie verò de Jure Imperatoris circa conferendam dignitatem Regiam.*

#### §. I.



Uti in Imperio nostro Romano Germanico dignitatum collatio accepta referenda sit, facile constare poterit, si in genere prius sciamus, cui in quavis Republica jus hoc competat, & deinde hæc ad statum Reipublicæ nostræ applicemus. Commodum ad hoc & scitu necessarium est, quid sit dignitas, quam nos dicimus esse eminentiam super alium: Unde verò hæc eminentia oriatur, iterum inquirendum nobis venit, quæ non ex se, sed aliunde proveniat necesse est. Causa verò eminentiæ dignitatis assignari poterit agnitio publica, sive iudicium Majestatis, & quidem non incongruè, cum Majestate jubente dignitates sustineantur *l. 5. C. de dignit.* & ab hac tanquam fonte omnes dignitates manent, fluant, refluantq; iterum ad eandem. *Sixtin. de Regal. cap. 4. n. 3. Hermes Fascic. Jur. Publ. cap. 11. p. m. 193.*

§. II.

Quapropter his præmissis dicendum, jus Reges, Electores, Principes & Nobiles creandi competere Imperatori nostro Romano Germanico, tanquam Summam totius Reipublicæ nostræ tenenti potestatem, quod facere poterit, simulac electus, & imperialibus infulis fuerit coronatus *per Aur. Bull. cap. 2. §. 8.* Unde Fridericus II. Imperator de jure ac privilegio Regis in Imperio apud *Goldastum Tom. un. Constit. Imper. pag. 305.* jure dixit: Sic nempe de fulgore throni Cæsarei velut ex sole radii, ita cæteræ prodeunt dignitates, ut primæ lucis integritas minorati luminis non sentiat detrimentum. *vid. Limn. de Jur. Publ. Lib. 2. c. 9. n. 17. & Sinolt. Schütz Colleg. Publ. Volum 1. Disp. 8. th. 8. lit. a.* imò Imperator fons & fastigium dignitatum in imperio. *Dn. Schweder Introd. ad Jus Publ. Part. Spec. Sect. 1. cap. 7. p. m. 335.*

§. III.

Quod attinet facultatem creandi Reges, ante omnia notandum videtur, referri illam inter regalia majora, s. ea, quæ Imperatori soli reservata propriaque Publicistæ appellare solent ex eo, quod nulli nisi soli Imperatori nostro hæc potestas competat, quam tamen aliis superioris sibi haud consciis Regibus paritas interdicit, cum nemo possit propter obstantes rationes Politicas similem sui efficere, quod idem affirmat *Sprenger. Inst. Jur. Publ. Lib. 1. cap. 8.* de quo tamen citra ullum crimen dubitare licere asferit *Limn. ad Capit. Ferdin. III. art. 46. verb. Fürsten / Grafen und Herren Stand.* Cum a. rationes dubitationis suæ *Limnæus* non afferat, idcirco priorem sequimur sententiam.

§. IV. Cu-

§. IV.

Cujus collationis Imperialis exeempla memorat *Limn. de Jur. Publ. c. l. n. 19.* & quidem Imperatores nostros Romano Germanicos Bohemiae, Poloniae, Daniae & Sueciae Principes Regalibus dignitatibus ornasse ex *Frebero ad Petr. de Andlo Lib. 2. cap. 8.* tradit, cum quibus faciunt etiam *Hermes. Fascic. Jur. Publ. cap. 11. qu. 2. p. m. 193. n. 97. Ed. post. & Sinolt Schütz Colleg. Publ. c. l.*

§. V.

De collatione dignitatis Regiae in Regem Bohemiae varia concessionum diplomata ex Goldasto refert *Limn. de Jur. Publ. c. l.* quae tamen omnium optimè inter se conciliare videtur *Dn. Conring.* in aureo tract. *de Finibus Imp. Germ. Lib. 2. c. 18. p. 784. seqq.* asserens, concessionem istam dignitatis Regiae primùm personalem tantum fuisse, & à Caesarum nutu dependentem, donec eam realem & perpetuam fecit Primislao Caesar Philippus Anno 1199. Aliter tamen *Limn. cit. loc.* cum Goldasto Tom. 2. **Der Reichs-Sagungen** p. 9. 13. 14. hæc explicat conciliatq; quos sequuntur *Hermes. Fascic. Jur. Publ. c. l. Excellent. Dn. Becmann. Not. dign. illustr. p. 8. & seq. Schweder Part. Spec. cap. 7. p. 335.* De Poloniae Rege in id fastigium ab Imperatore nostro evector inter Poloniae Germaniaeq; scriptores non satis convenit, illis pro libertate sui Regis, his pro Germaniae in Poloniam jure, quod præter collationem Regiae dignitatis Imperator noster habuit, valde pugnantibus. Nostram tamen sententiam confirmat *Limn. de I. P. c. l. n. 21. Sprenger. Instit. Jur. Publ. L. 1. c. 8. pr.* in primis autem *Dn. Becman.* prælaud. tract. qui ex Bonfin. & Goldast. annectit, Poloniam Imperio nostro tributariam fuisse. conf.

*Dn.*

*Dn. Conring. cit. Tract. L. 1. c. 18. De Dania Rege, acceptâq; ab Imperatore nostro coronâ Regia videri poterit Excellent. Dominus Caspar Sagittar. Nucl. Hist. Germ. §. 115.*

§. VI.

Veteribus Imperatoribus jus dignitates Regias concedendi competiisse exemplis ex probatâ fidei Auctorib9 depromtis probavimus. Anne verò hodiernis adhuc Imperatoribus idem Jus competierit, & adhuc competat, quærendi licentia esset? quod affirmatur, Rat. dub. (1.) quia longo temporis intervallo ab Imperatoribus nostris Romano Germanicis nulli creati fuere Reges. (2.) quia dignitatis Regiæ mentio non fit in Capit. Leop. art. 44. verb. *Fürstlicher / Gräflicher und anderer dignitäten* & Cap. Ferd. IV. 44. verb. *Der Fürsten / Grafen und Herren Stand*/item in Capit. Ferdin. III. art. 46. verb. *Den Fürsten / Grafen und Herren Stand* & art. 47. verb. *Fürstlichen und Gräflichen dignitäten*. Verum enim verò Rationes decidendi affert *Limneus ad Cap. Ferd. III. art. 46. cit. verb.* dicens ad(1.) in quæstione non esse, an Imperatores nostri Romano Germanici concesserint dignitates Regias, sed an concedere potuerint & adhuc possint: ad (2.) Resp. sub titulo *Fürsten* etiam Regium titulum latere, cum Principistitulus sit generalis, ita, ut Regibus quoque tribuatur, imò ipsi etiam Imperatori, quod animadvertit quoque *illustr. Dn. Rbet. Instit. Jur. Publ. Lib. 1. Tit. 17. §. 10.* quando vocabulum Principis in gradu eminenti nonnunquam summi & in hac significatione etiam Imperatori nostro tribui dicit.

§. VII.

Diximus §. 3. disp. jus creandi Reges esse solius Imperatoris.



toris. Anne verò hoc jus denegetur Regi Romanorum, in  
 quæstionem deduci potest? Cui ut occurramus, di-  
 stinguimus Regem Romanorum, qui vivo Imperatore  
 (quod fieri posse docet §. 36. Cap. Leop. conf. Sinold.  
 Schütz Colleg. Publ. Exerc. 5. th. 1. & illustr. Dn. Rbet. Inst. Jur.  
 Publ. L. 1. T. 4. A. 7. l.) ab eo, qui mortuo Imperatore eligitur,  
 asserentes, huic idem jus competere, cum tantum nomine  
 Rex, re tamen vera sit Imperator, & omnes actus Imperii  
 exercere possit per A. B. Tit. 2. §. 5. & quia. 8. illi verò denega-  
 mus, nisi in quantum id exercet per modum commissionis  
 sibi ab Imperatore collatæ, unde etiam actus hos vi Im-  
 peratorii & sui nominis expedit. vid. Sinold Schütz  
 d. l. th. 4. lit. H. Aliàs n. Regem Romanorum nisi  
 vel vivo Imperatore absente, vel eodem committen-  
 te nihil suscipere posse, clare provisum in Capitul.  
 Rudolph. II. art. 33. Wir wollen uns der Regierung des  
 Römischen Reichs nicht anders unternehmen / als so  
 viel uns von Kaiserlicher Majestät vergönnet ist. vid.  
 Magnif. Dn. Stryk. Colleg. Manuscr. ad illustr. Dn. Rbet. in-  
 stit. Jur. Publ. Lib. 1. tit. 4. §. 57.

IIX.

Hanc creandi Reges facultatem Vicariis imperii etiam  
 competere, stabilire posses ex eo, quia Vicarii Imperatoris  
 vicem gerunt. Unde Vicarios regulariter omnia posse,  
 quæ potest Imperator, argumentari posses cum Sinold.  
 Schütz d. l. th. 12. Verum sicuti nulla regula  
 tam firma est, quæ non patiatur exceptionem, ita  
 & hæc. Dicitur enim canon debet intelligi cum superaddi-  
 ta limitatione, quod scilicet omnia possint Vicarii quæ pot-  
 est Imperator, nisi quæ specialiter sint excepta Rosenthal de

B

feud.

*feud. cap. 10. concl. 39.* vel quæ in signum supereminentiæ Imperatori sunt reservata, quò refer regalia majora *Aur. Bull. Tit. 5. §. 1.* quibus etiam accensetur jus Regias dignitates conferendi, uti diximus §. 3. huj. disp. *add. illustr. Dn. Rbet. Inst. Jur. Publ. Lib. 1. Tit. 5. §. 9.*

IX.

Majoris indaginis quæstio est, num Imperator etiam solus unà cum Regali dignitate possit conferre Jus status & sessionis in Comitibus? quod negatur expressè *in art. 44. Cap. Leop.* siquidem hoc fit in præjudicium Statuum, quorum tamen juribus neutiquam se præjudicaturum sanctissime Imperator in Capitulatione promissit. Unde rectè statuitur, ab Imperatore Regem cum annexo characterè Status non posse creari, nec ei per consequens votum & sessionem conferri sine consensu Electorum & Principum *d. §. 44. Leop. Cap. §. 197. Rec. Imp. d. anno 1654. add. illust. Dn. Rbet. Lib. 1. Tit. 15. §. 15. p. 244.* Unde potestatem constituendi statum Imperii effectivè penes totum imperium esse, rectissime asserit *Magnif. Dn. Schil- ter in Praelect. ad illustr. Rbet. c. 1.*

CAPVT II.

*De Jure Imperatoris circa Creationem Electorum.*

§. I.

Sed hæc sufficiant de Jure Imperatoris circa collationem Dignitatis Regalis. In hoc capite nobis dispiciendum superest, quid juris exercere possit circa erogationem dignitatis Electoralis: Non immeritò enim Regibus  
statim

statim subjunguntur Electores, cum & ipsi secundum  
receptam Publicistarum sententiam non Regibus solum  
æquiparentur, uti ex Heig. p. 1. q. 4. n. 5. & Warem. ab  
**Ehrenberg** (quem Proteum varia ob nomina Juris Publici  
scriptores vocare consueverunt vid. Dan. Otto disp.  
de Jur. Publ. c. 10. Goldast. de Jur. Regn. Bohem. L. 6.  
c. 15. quos citat Dn. Becman. Med. poel. cap. 1. §. 5 de Fæ-  
der. Lib. 1. cap. 2. n. 147.) deducunt Limn. Lib. 3. c. 2. n. 3.  
Oldenburg. in Limn. Enucl. Lib. 2. cap. 1. n. 14.  
sed etiam in actibus ad Imperialem Curiam spectantibus  
anteferantur add. Limn. c. l. n. 4. Unde Legatis Caroli  
Burgundici (quanquam hic sex Ducatum, quindecim-  
que Comitatum præsertim Ducatus Burgundici, qui  
olim Regio titulo fuit insignitus, honore fulgeret Her-  
mes. Fascic. Jur. Publ. cap. 16. n. 3. p. m. 321.) in Comi-  
tiis Ratisbonensibus Anno 1471. nomine Ducis sui præ-  
cedentiam præ Electoribus prætendentibus ab Electori-  
bus oppositum fuisse ex Goldast. Ration fol. 99. referunt  
Limn. d. l. & **Schütz** Colleg. publ. Vol. 1. Ex. 7. tb. 19. lit. c.  
Se, è corpore Cæsaris cum essent, ne Regibus quidem, si  
qui adessent, cedere oportere. Extra curiam Imperia-  
lem tamen Electores haud inviti Regibus coronatis ce-  
dunt, sicuti in casu concurrentium Legatorum Regum  
cum suis Legatis in aula Cæsarea, illis præcedentiam haud  
refragante voluntate assignarunt, quod ex Capit. Leop.  
art. 5. verissimè probat Dn. **Schweder** introd. in Jus Publ.  
Part. spec. sect. 2. cap. 2. §. 9. confer. In **Schütz** c. l. lit. b.

B 2 §. II.

Hoc autem præcedentiæ jus non solis Electoribus Ecclesiasticis & Regi Bohemiæ, sicuti Rumel. ad Aur. B. *Diff. 5. tb. 19.* statuit, competit, quem refutavit Limn. *ad Cap. Ferd. III. art. 4. verb. vorgehen n. 5. seqq.* dum omnes omnino Electores omnibus aliis Principibus cujuscunque status, h. e. Regibus Ducibus in actibus ad Curiam spectibus præferuntur *cap. 6. A. B.* imo & Rege inferioribus extra curiam minimè cedant. Minime ergo in finistrum sensum citatum caput Aur. B. torqueri debet. add. Limn. *ad cit. text. A. B. observ. 6. & Dn. Schweder c. l. §. 9.*

Cui dignitati & hodie suus stat vigor, unde etiam Electores hoc stylo utuntur, ut externos Reges in literis ad eosdem datis nominent **Königliche Würde** / non **Königliche Majestät**. Unde rectissimè in Comitibus Ratisbonensibus Anno 1641. Imperator pro juribus tam suis quam Electorum stetit videtur, quando nonnullorum statuum, Regem Galliæ titulo dignitatis Majestatisque compellendum esse pignantium, desiderio opposuit: **Daß der Kronen Frankreich und Spanien das Prædicatum Majestatis weder conjunctim cum dignitate noch divisim zu geben / sondern es bey dem alten Stylo zu lassen / mit welchen solches nicht herkommen / sondern bißher eines Römischen Keyfers oder Königs im Reich agnosci ret worden** Oldenb. in Limn. *Enucl. Lib. 2. cap. 1. n. 14.* Egre quamvis hoc titulo insignitus id tulerit Sueciæ Rex **daß sie ihm den jenigen Titul / welchen er allein von Gott und seinen Vorfahren erlanget / nicht gegeben /** Oldenburg. *c. l.* Ad literas verò Sueciæ Regis datam Electorum

etorum ad augustam consuetudinem pro vocantium re-  
sponsum vide sis ap. *Schütz sup. §. 1. cit.* Quod si  
tamen Electores civilem sequuti temporum rationem Re-  
ges Majestatis titulo condecorare voluerint, Reges hono-  
ris hujus memores Electoribus titulum Serenissimi & Fra-  
tris retribuere solent de quo consule Magnif. Dn. Stryk.  
in prælect. ad illustr. Rhet. *instit. Jur. Publ. Lib. n. Tit.*  
*2. §. 145. & tit. 6. §. 10,* cum alias solum hochgebohrne  
appellentur.

§. IV.

Hanc Electorum summam prærogativam ex innu-  
meris Aureæ Bullæ locis sat clarè quin stabilire possimus,  
dubitationis limites excedit: Dicuntur enim septem cande-  
labra lucentia *pr. A. B.* propinquiora sacri Imperii mem-  
bra *cap. 2. §. 5. Aur. B.* add. si placuerit Magnif. Dn. *Schil-*  
*ter* in prælect. ad illust. Dn. Rhet. *Lib. 1. Tit. 4. §. 3.* ex  
hoc rectissimè Eminentiam Electorum stabiliri asserens:  
Qui sacrum ædificium circumspectæ Prudentiæ solerti  
pietate sustentant *A. B. cap. 3. §. 1.* pars corporis Impera-  
toris *A. B. cap. 24. pr.* Oberste Väter und Rathgeber der  
teutschen Nation Hortleder. de Caus. Belli Germ. *L. 1. c.*  
*37. n. 511.* Imò illorum Hoheit ist mit eines Römischen  
Käysers Gewalt und Hoheit/daher sie auch fleust/der-  
massen verbunden/ daß eine oder die andere nicht ver-  
schmähet werden/ auch ohne die andere nicht bestehen  
kan/ ja daß die höchste Würde der Churfürsten/ damit  
sie vor andern Königen und Potentaten gezieret/ eben  
diese ist/ daß sie einen Römischen Käyser/ dessen Hoheit/  
autorität und Gewalt alle andere übertrifft von der  
auch alle andere herfließen/ zu wehlen haben. vid.

Oldenburg. in Limn. Enucl. *Lib. 2. cap. 1. 2. 13.*

§. V.

Hanc autem dignitatem primitus quidem consuetudine ad se, cæteris ad hoc conniventibus statibus Electores transstulere, & quidem maxima ex parte id contigisse videtur sub Friderico II. do, & post eum subsequuto interregno, ubi electio ad pauciores restricta, cum antea omnes Imperii Principes sacri, Profani, Prælati & Comites ad electionem futuri Regis convocarentur. Vid. Magnif. Dn. Præs. *Ex. Exot. Jur. Publ. 10. th. 11.* Dn. Rhet. *Inst. Jur. Publ. Lib. 1. Tit. 6. §. 4. ibique in Prælect. Magnifici Dn. Schilter. & Stryk.* quorum ille asserit, tempore Aureæ Bullæ demum Electoribus jus eligendi exclusivè confirmatum fuisse add. illust. Dn. Struv. *Synt. Feud. cap. 3. 1. 7. num. 12. seqq.* Dn. Strauch. *Exot. 2. th. 1. p. m. 42.* Dn. Conring. *Ex Acad. de Septem-viris 5. th. 31. & Annot. ad Lampad. p. 3. cap. 4. §. 1.*

§. VI.

Minime ergo illis erit assentiendum, qui vulgari & per duo secula constanti opinioni Doctorum unà cum Schützio *Vol. 1. Ex. 2. th. 6.* & Hermessio *Fascic. Jur. Publ. cap. 16. n. 2. p. m. 329. seq.* inhærent, originem institutionemque Electorum Ottoni III. deberi. Hi siquidem cum communi illa sententia non solum semet ipsos, sed & alios fallunt. Verba enim Electoris Moguntini in Electione Caroli V. originem Ottoni deberi confirmantis, ejus valoris non sunt, ut sinistrae parti adhæreamus. Ad hæc enim satis jam responsi dederunt Magnif. Dn. Schilter. in *Prælect. ad Dn. Rhet. Instit. Jur. Publ. Lib. 1. Tit. 6. §. 3.* & Dn. Schweder. *Introd. in jus Publ. part. spec. sect*

*sect. 2. cap. 2. n. 4.* qui uterque Moguntinum ex communi falsa licet illius seculi opinione id fecisse facile consentit. Justissime hinc à Schüzii sententia recessit Clariss. Dn. Scharfchmid *in not. ad cit. l. item ad Vol. 1. Ex 7. tb. 3. consul. Limn. de Jur. Publ. supr. cit. l. & Oldenburg. in Limn. Enucl. d. Lib. 2. cap. 1. n. 2.* Dn. Becmann *Not. dign. illustr. D. 8. cap. 2. tb. 4. p. m. 228.* Removetur hoc ipso quoque sententia eorum, qui beneficio Pontificiæ sedis præminentiam hanc Electoribus accessisse putant, inter quos sunt Baronius, Aventinus, Onuphrius Panvinitus. Verum omnes relicta Regia via abdita loca quærentes sententiæ colorem facere intendunt, quod tamen vix obtinere poterunt, dum Præsul ille Vaticanus cum Imperio nostro Romano Germanico nihil commercii habeat, eique idcirco vix fuerit communicata potestas, rem alterius juris dispositioni subjiciendi vid. *Dn. Schilt. de Lib. Eccles. Germ. Lib. 3. c. 8. 5. 2. & Limn. L. 3. cap. 1. n. 21.* Nemo enim plus juris in alium transferre potest, quàm ipse habet *l. 54. ff. de R. J.* Imò sanctissimus ille Pater, non immemor esse debebat, spirituale Christi regnum de hoc mundo non esse *Job. 18. v. 36.* aut in hujus mundi elementis investigandum, ut non immerito is, qui Christi Apostolorumque successor esse vult, se rebus Imperie subducere debeat. Unde Ludovicus IV. & Imperii status Colonia generali constitutione reum pronunciarunt, qui Imperii dependentiam à vel sub Papa ausus fuit afferere *Reinking. de Reg. Sec. & Eccl. Lib. 1. Cl. 2. cap. 4. n. 2.*

§. VII.

Nec illud largiri possumus in solentibus Gallia Regis

gis

gis adulatoribus, serenissimos Electores nostros Regis Galliae Vasallos hominesque ligios esse protervo stylo asserentibus, inter quos Chassanus præ cæteris suis abblauditurus liliis intolerabilem non Imperio Romano solum, sed toti terrarum orbi injuriam intulit in *Tr. de la recherche des droits du Roy & de la Couronne de France*, quando totius orbis Imperium Regi suo deberi asserere haud timuit, sed etiam eò audaciæ progressus est, ut Jura Imperii nostri Romano Germanici serenissimorumque Electorum invaderet in subsequentibus: Les Electeurs de l'Empire relevent de la souveraineté de nostre Couronne, & s'advouent Vassaux & hommes liges des Rois de France *vid. p. 25. & 26.* Verum enim verò, intentionem, quâ hactenus Rex orbem terrarum Monarchiæ suæ affectatæ subdicere omni studio flagravat pro jure vendit. Satis enim esse quis assereret, multis chartam onerare, pauca vero imò nulla probationibus firmare, quod cum hactenus Regii juris affectati assertores fecerint, sane cur nostræ assertioni inde derogari possit, nullatenus video, qua propter egregiè & latius refutatum Chassanum ejusque asseclas *vid. ap. Schütz Colleg. Publ. Vol. 1. Ex. 7. th. 18. lit. g.*

§. IIX.

Neque hactenus eò perduci potuimus, ut his assentiremus, qui beneficio Henrici II. Imperatoris Episcopo Bambergensi jus serenissimos Electores de officiis Electoralibus investiendi concessum esse fabulantur. Nec hoc solum contenti adhuc eò progredi audent, ut ipsos Electoratus à dicto Episcopo per investituram largiri scribant. Verum enim verò hierasse impingunt, cum officia,



ficia, quæ Episcopo Bambergensi intuitu bonorum ab eodem in feudum Electoribus collatorum præstantur, longe diversa sunt ab officiis Electoralibus Dn. Rhet. *Instit. Jur. Publ. Lib. 1. Tit. 4. §. 46.* diversosque propterea subofficiarios habent, quos recenset Dn. Struv. *Syntagm. Jur. Feud. cap. 3. a. 7. num. 16.* & Dn. Strauch. *Ex. Exot. 3. tb. ult. p. m. 84.* Hæc enim officia à Serenissimis Electoribus in persona, uti Praxis docet, exhibentur, neque juramento fidelitatis, sed stipulata manu solùm obligatos se fore, favoreq; pariter ac amicitia nunquam non adjuturos, pollicentur. confer. Dn. Stryk. *ad illustr. Dn. Rhet. cit. loc. Limn. ad Capit. Car. V. Proæm. verb. Erstruchseß/Ersmarschalck und Erßammerer. n. 5.*

§. IX.

Licet autem hæc dignitas consuetudine, ut §. 5. diximus, primò acquisita, & postmodum per Auream Bullam Electoribus Serenissimis confirmata sit (ex quo tempore demum Electorum titulum suo nomini adjecisse Septemviros, qui antea ratione numeri munerum officialium ita vocabantur, testes sunt Dn. Rhet. *Institut. Jur. Publ. Lib. 1. Tit. 6. §. 4.* & Dn. Conring. *cit. Dissert. tb. 32.*) propterea tamen non omnis facultas de disponenda & conferenda dignitate Electorali denegata est Invictissimo nostro Imperatori, quum de vacantibus Electoratibus (quibus dignitatis Electoralis splendor inhæret teste *A. B. tit. 7. verb. vi & virtute regni & Principatuum suorum.* add. Dn. Strauch. *Exot. 2. tb. 3.* Conring. *cit. l. tb. 33.*) provisio adhuc ei debeatur, ita ut eum, quem dignum hac dignitate putaverit, Electoratu investire possit, quando sc. vasallus Elector antea præstito fidelitatis juramento, capulum ensis apprehendit, extremitatemque coni oscula-

C

tus

§(18) R

tus est. De quo vid. Dn. Stryk. *Ex. Jur. Feud. cap. 3. qu. 33.*  
ibique citatos Auct.

§. X.

Varie autem Electoratum vacare contingit. In Electoratu Ecclesiastico imprimis vacantia adesse creditur, simul ac Elector fati concessit. Electoratus secularis verò vacantia argui solet (1) si unà cum mortuo recenter Electore tota familia, quæ simultaneâ per primum acquirentem investiturâ gaudet, sit extincta. (2) Si pacta de succedendo confirmatione Imperatorum roborata non adsint. (3) si ob grave crimen Electoratus in pœnam legitimè aufertur, (4) si proprio motu Elector Electoratu sese abdicaverit (5) si vel ipse vel anteriores Cæsares spem certam, quam expectativam vocant, nulli concesserint, fore ut intercisa Electorali familia & non extantibus confraternitatis foedere conjunctis, Electoratus eidem conferatur. Bocer. *de Regal. cap. 4.* quem citat Dn. Strauch. *Ex. Exot. 2. tb. 3.*

§. XI.

Circa enumeratos vacantiae casus diversos diversum provisionis jus Imperatori competere constat. Quod enim attinet aperturam morte Electoris in Ecclesiastico Electoratu introductam, eam supplet Imperator per novam investituram (quæ olim scepro peracta, hodie verò gladio, uti habent Dn. Struv. *Synt. Jur. Feud. cap. 3. tb. 7.* & Dn. Stryk. *Ex. Jur. Feud. cap. 3. qu. 33.*) in Archiepiscopum à Capitulo electum factam, qua sola mediante Elector constituitur. Dn. Strauch. *Ex. Exot. 2. tb. 2.* Non obstat, hos Electores dici Ecclesiasticos & Archiepiscopos, Ecclesiasticum autem non ab Imperatore sed à Capitulo creari; quin & dignitatem Archiepiscopalem acceptam ferri  
Ponti-

Pontifici Romano non verò Imperatori. Ad hæc siquidem Resp. (1) Electionem non posse id transferre, quod transcendit potentiam ejus, cum capitulares, qui eligunt, se habeant ad Episcopum in eodem genere Ecclesiasticæ qualitatis, ut membra ad caput spirituale, qui tamen respectus à nostro in ordine ad caput seculare alienissimus est: Quamvis etiam electio necessaria sit, poterit tamen hæc comparari potentiaæ receptivæ & terminis habilibus, quibus Imperator eminentiam Electoralem confert. Præterea Resp. (2) Electores appellari Ecclesiasticos, non quatenus sunt Electores, sed quatenus sunt Archiepiscopi Dn. Schvveder. *Part. Spec. Sect. 2. cap. 3. §. 3.* cum ipsis non quâ Archiepiscopis, sed quâ secularibus Imperii Principibus vi ac virtute feudorum regalium, quæ ab Imperio immediatè possident, jus Regem & Electorem eligendi competat. Rectissimè ita sentientibus Limn. *L. 3. cap. 7. n. 7. seqq. Schütz Vol. 1. Ex. 7. tb. 7. lit. F. & G.* Schvveder. *c. l. tb. 3.* Nec alterum nos movet, à Papa conferri dignitatem Archiepiscopalem: sub hoc enim caractere eorum consideratio à nobis hic minimè instituitur, sed dispicimus hoc loco de iis, quatenus sunt Principes, & sicuti jam anticipavimus, sublimia imperii collegique Electoralis membra sunt. Licet autem omni careat dubio, Papam de Prælaturis & Archiepiscopalibus honoribus Electores aliosque Principes investire, inde tamen dubitare licitum est, num jure id fiat, cum concordata Germaniæ inter Fridericum III. Imperatorem & Nicolaum V. Pontificem inita, quorum vi Romanus Præsul investituram Archiepiscopalium dignitatum Prælaturarumque detinet, Successores Imperii nostri non obligent, quia sunt contra Jus divinum & humanum. Vid.

Dn. Schilter. *de lib. Eccles. Germ. lib. 4. cap. 5. §. 11. & in Præl.  
ad Dn. Rhet. Instit. Jur. Publ. lib. 1. Tit. 2. §. 115.*

§. XII.

Sed relicta enumeratione Juris Imperatori competentis in Electoratu Ecclesiastico conferendo, pergo ad inquirenda ea, quæ Imperatori circa varios aperturæ casus in Electoratibus secularibus debentur. Dictum vero est §. 8. h. cap. vacare Electoratum (1) extincta integra familia Electorali: Huic enim, si adhuc in vivis sit, per translationem Electoratus eique ad hærentis dignitatis Electoralis Imperator minimè præjudicare potest, sed tenetur præmortui Electoris primogenito filio, aut eo non amplius existente, ejus primogenito, aut hoc etiam sine liberis masculis præmortuo, secundogenito ejusq; legitimis heredibus masculis, vel si plane sine legitimis descendantibus masculis decesserit, ejus proximo agnato in Electoratum vi primæ, ut monuimus, & simultaneæ investituræ succedenti Electorale feudum redintegrare, eiq; ad hærentia jura repetere, & extendere vid. *Aur. Bull. cap. 7.* quo specialiter de successione Principum Electorum agitur. (2) Si pacto confraternitatis juncti desint. Cæteroquin enim juri maximè conforme est, ut Electoratus propter antecedens inter illustres personas pactum, subsequuta Imperatoris plenissima corroboratione confirmatum, post extinctam familiam Electoralem ad adscitos sibi per prædictam conventionem confratres devolvatur. Constat enim, impetrata Imperatoris confirmatione pangere posse Principes de omnibus feudali- bus & bonis allodialibus. *Magnif. Dn. Præl. Ex. Exot. J. Publ. 12. th. 15.* Circa num. (3. & 4.) cit. §. 8. huj. Diss. bene notandum erit de refutatione & delicto, dari casus, ubi ad  
tempus

tempus tantum apertura daret, nimirum eousq; quo re-  
futans vel delinquens in vivis est; Nam eo mortuo re-  
dit ad proximum successorem feudalem. vid. Limn. *ad*  
*Capit. Carol. V. art. 24. verb. erofnet.* Huic enim jus per  
primum acquirentem quæsitum auferre, jura vix imò  
neutiquam permittunt. Dixi (5) expectativam alii conces-  
sam impedire vacantiam: Nam ad promissionem ab an-  
tecessore vel ab ipso Casare Regente factam hac in par-  
te omnino successorem teneri, verissimè asserit Lampad  
*de Rep. Rom. Germ. Part. 3. cap. 4. §. 22.*

§. XIII.

Neutiquam tamen credendum, provisionem Im-  
peratoris in tantum etiam extendi, ut vacantia legitimo  
successore possessoreq; feuda Electoralia, in utilitatem &  
conservationem imperii, suorumq; successorum Imperio  
incorporare possit. Non obstant *Capit. Car. V. artic. 24.*  
*Ferdin. II. art. 28. Ferdin. III. art. 32. verb. Wann auch Lehn*  
*dem Reich und uns bey Zeit unserer Regierung eroffnet*  
*und lediglich heimfallen würden/so etwas merkliches ertra-*  
*gen/als Fürstenthumb/Gravschafften/Herrschafften/Städte*  
*und dergleichen / Die sollen und wollen wir ferner niemand*  
*leihen/auch niemand einige expectanz und Anwartung dar-*  
*auff geben/sondern zu Unterhaltung des Reichs uns und un-*  
*serer Nachkommen der König und Kayser behalten/einziehen*  
*und incorporiren. Licet enim Electoratus nomine Prin-*  
*cipatum indigentur in Aur. Bull. Tit. 7. quia tamen hæc*  
*generalis est constitutio, putandum non est, derogare eam*  
*speciali Aureæ Bullæ sanctioni, quæ cum fundamentalis*  
*Imperii lex sit, contrariæ dispositionis formæ vix subja-*  
*cet, svadente publica imperii utilitate ut in locum de-*  
*mortuorum substitutis novis Electoribus eorum nume-*

rus & jura pristini juris vigorem retineant, ne ipsa Augustissimi Collegii eminentia periclitetur. Vid. Dn. Struv. *S. Jur. Feud. cap. 5. aph. 6.* Limn. *ad cit. art. 24. verb. Fürstenthumb. Cap. Car. V.*

§. XIV.

An verò Imperator consanguineos defuncti Electoris in reinfeudatione Electoratus præterire possit, controvertitur? quod tamen recte affirmat Schütz *Vol. 1. Ex. 7. tb. 17. lit. F.* Hoc tamen cum distinctione procedere dicendum videtur, si nimirum à primo acqvirente non descendant, (alias enim eorum juri quæsito præjudicaretur, quod tamen fieri non posse urserunt Serenissimi Electores in translatione Electoratus à Domo Palatina in Bavaricam. vid. Limn. *de Jur. Publ. lib. 3. cap. 9. num. 14.* Dn. Strauch. *Ex. Exot. 3. tb. 10. p. m. 77. 78. seqq. add. §. 10. huj. Diff.*) nec investitura simultanea dignati, nec pacto confraternitatis vocati, nec expectantia adsignata.

§. XV.

An vero soli Imperatori absque consensu Electorum competat provisio de vacantibus Electoratus, discordantes inter Juris Publici Doctores sunt sententiæ. Quidam plane in acri hac concertatione manum de tabula detrahunt, adjectis solùm rationibus pro affirmativa contrariaque sententia facientibus, securi interim de ponderosa hujus rei decisione. Sed veriozem rei determinationem dant, qui negativæ assertioni inhærentes, dicunt, non licere Imperatori quidpiam, quod ad imperium pertinet, alienare citra consensum Collegii Electoralis Cap. Ferd. III. *art. 9.* Cum verò Electoratus vacans sit res ad imperium pertinens *cap. 7. §. fin. A. B.* reinfeudatio verò juxta juris Feudalis Doctores sit alienatio Vultej. *lib. 1. de*

1. de

1. de feud. c. 3. n. 3. sponte fluere inde videtur, Imperatori  
 citra consensum Electorum non competere jus alienan-  
 di Electoratum. Constat enim, Electorum officium &  
 potestatem in hoc maximè consistere, ut prudentia con-  
 silioque suo Cæsari adsint, providentiaq; sua orbi fluctu-  
 anti subveniant *cap. 2. A. B. §. 1.* imò Electores non tantum  
 munere summorum Consiliariorum Imperatoris sed eti-  
 am administratorum Imperii funguntur, adeò ut eorum  
 consensus in actibus magni momenti omnino requiren-  
 dus sit. Cui sententiæ pondus addunt verba Potentissi-  
 morum Electorum Saxonici & Brandenburgensis circa  
 translationem Electoralis dignitatis in Ducem Bavarix,  
 quorum ille queritur, daß anfänglich diese translation  
 ohne Vorbewußt der H. Churfürsten geschehen / un-  
 angesehen es eine von den wichtigsten und grösssten /  
 darumb die Churfürsten befragt werden solten. Se-  
 renissimus vero ac Potentissimus Elector Brandenburi-  
 cus demonstrat, daß die translation von grosser impor-  
 tantz darumb billich nach Besage der Capitulation mit  
 denen Churfürsten des Reichs communiciret und nicht  
 alleine intimiret werden sollen. Die Churfürsten und  
 Stände wären zwar ihrer Majest. aber zugleich des  
 Reichs Churfürsten und Stände / darumb daß die  
 Sache vor sie gehörig / kein Zweifel. Ihre Kays. Maj.  
 vergeben kein Leben / auch keine Statt / so sie erlediget /  
 ohne Vorbewußt der Churfürsten / wie vielmehr da  
 eine Churfürstliche Würde sol vergeben werden. Ver-  
 ba deprompta sunt ex Manifesto Caroli Ludovici Princi-  
 pis Palatini de A. 1637. Verius ergo est novum Electo-  
 rem in Collegium Electorale non recipi, nisi cum con-  
 sensu Electorum, ne detur ulterius occasio divisionibus  
 dissen-

dissensionibusq; inter Electores, quæ facile exardescere possent, si minus acceptum collegam his adungere vellet Cæsar. Faciunt nobiscum Limn. *ad Capitul. Carol. V. art. 24. verb. Fürstenthumb. n. 14. seqq. & J. Publ. lib. 3. c. 9. n. 13. seqq. & Tom. 4. Jur. Publ. addit. ad l. 3. cap. 7. p. m. 347. Hermes. Fascic. Jur. Publ. c. 18. num. 59. pag. m. 410. seq. Dn. Rhet. Inst. Jur. Publ. Lib. I. Tit. 4. §. 63. & Tit. 7. §. 18. & Dn. Strauch. Ex. Exot. D. 4. th. 23. p. 110. seq.* Bene tamen notandum erit, de sex Electoribus tantum excluso Bohemo hæc intelligenda esse *arg. art. 9. Cap. Ferdin. III.*

§. XVI.

Esset nunc agendum de Juribus Electoribus Serenissimis per collationem Imperatoriam acquisitis, ubi nobilissima & totum fere Juris Publici fontem exhauriens materia de electione Imperatoris & ei adhærentibus occurrit. Sed quum laxior hæc res sit, laxiorique propterea tractatione indigeat, nobis vero constitutum sit, de Imperatoria circa Electoralis dignitatis erogationem potestate pauca quædam rudi penicillo delibare, quapropter accuratiori aliorum tractationi illud reponimus, & ad reliqua nos accingimus capita; *quorum*

CAPVT III.

*De Jure Creandi Principes.*

§. I.

**P**erlustrato collationis jure circa Regias dignitates Imperatori competente, ordo postulat, ut calamum nostrum dirigamus ad erogationem Regiâ dignitatum



tum Regiis minorum: Inter has primo loco sese exhibet Principum dignitas, quorum appellationem nimis latè patere, monuimus jam tum supra *cap. 1. §. 6.* quâ tamen in significatione Principum vox h. l. non supponitur, sed (1) generaliter pro iis, qui non sunt Electores, accipitur (2) specialiter pro simpliciter ita dictis Principibus vid. Boecler. Not. S. Rom. Imp. *Lib. 7. cap. 1. p. 204.* De singulis distinctim agetur in sequentibus.

§. II.

Ita suppositum vocabulum Principis comprehendit etiam Archiduces, quorum creandorum potestatem habet Imperator in Imperio nostro Romano Germanico, eorumque dignitas maxima, quæ ex ipsa nominis appellatione sat clarè etiam dignoscitur. Dicuntur enim Archiduces à Græcâ voce ἀρχων, quæ Principem designat & latino vocabulo Dux, ac si Principem Ducum diceres, Germanicoq; idiomate Erb-herzog efferres. Conf. Dn. Schweder. *Introd. in Jus Publ. Part. Spec. Sect. 2. cap. 7. §. 3.* quod dignitatis fastigium in Imperio nostro Romano Germanico penes solam Austriacorum est familiam, quamvis negandum non sit, præ eminentiam non minorem vid. Burgoldens. *Part. 1. pag. 267.* præ aliis Ducibus [Supremi] Ducis dignitatem importare, qua præter alios *Potentissimum Electorem Brandenburgicum Patriæ meæ Patrem, ac Dominum clementissimum* intuitu Prussiæ gaudere, insimulq; à cæteris Ducibus Vasallis secerni, satis constat, cum per transactionem Velaviensem anno 1657. Supremum Prussiæ Imperium obtinuerit, & postmodum adhibitis solennibus ceremoniis Supremus Prussiæ Dominus ac Dux declaratus fuit, quas ex *Diar. Europ. Contin. q. ad A. 1663. 8. Octobr.* refert sæpius  
D laud.

laud. Dn. Becm. Not. Dign. Diff. 7. cap. 2. §. 8. easque huc ex  
 eodem inserere placuit: Als Seine Churfürstl. Durchl.  
 und die Herren Abgesandten / jede absonderlich den Gottes=  
 dienst verrichtet / fanden sie sich gegen 12. Uhr auf der dazu  
 bereiteten Bühne ein / woselbst höchstgedachte Sr. Churfürst=  
 liche Durchl. sich auff den dahingestellten Thron niederliesse /  
 neben welchen zur Seiten stunden vor hochermeldte Herren  
 Bischoff und Unter=Canzler / sambt den vier Regierungs=  
 Räten bey sich habend die Regalien / als Chur-Hut / Schwert /  
 Scepter und Stab; der Polnische Unter=Canzler hielt an=  
 fangs eine lange oration in Teutscher Sprache / und diese  
 ward von unten auff durch einen aus der Ritterschafft be=  
 antwortet / und darnach der Eyd Sr. Churf. Durchl. und  
 für dero Männliche Leibes= Erben geleistet: Hierauff that  
 der Herr Bischoff eine lange lateinische oration, die zum an=  
 dernmahl von unten auff beantwortet wurde / auff welche der  
 zweyte Eyd / den ein geistlicher Prälat vorlas / erfolgte / daß  
 nemlich nach Absterben der Churfürstl. Männlichen Leibs=  
 Erben die Königl. Maj. und Cron Polen die nechste Folger  
 alsdenn wieder seyn solten. Wie dieses alles verrichtet / wur=  
 den alle Glocken bey zwey Stunden lang geläutet / die Stü=  
 cke gelößet / und zwar über die 1000. Schüsse daraus / und  
 von dem Schloß lieff aus einem schön gemahlten Adler auff  
 einer Säule rother und weisser Wein bey 4. Stunden an  
 einander / und über das ward auch an unterschiedlichen Dr=  
 ten der Stadt kleine und grosse Münze ausgeworffen / mit  
 dieser Überschrift: *Supremo Prussia Domino FRIDERICO  
 WILHELMO, Principi Elect. Brandeb. Homag. prest. die  
 XVIII. Octobr. Anno 1663.* Auff der andern Seite stund eine  
 Hand aus der Wolcke / welche eine Krone hielt / mit diesen  
 Worten: *A Deo data*, in der mitten war ein Schwert und  
 Scepter

Scepter Kreuzweise durch einen Lorbeer-Kranz / mit nach-  
gehender Unterschrift : *Pro Deo & Populo.*

§. III.

De Archiducum Origine multi multa disputant, cum aliqui velint, consuetudine in Germania receptum esse, ut, sicut Electorum Secularium Primogenitus der Churprinz specialiter dicatur, ita primogenitus Ducis, cum cæteri filii simpliciter Duces appellentur, ad horum differentiam Archidux vocetur. vid. Limn. *Lib. 4. cap. 3. n. 27.* Schük Coll. Publ. *Ex. 8. tb. 6. lit. D.* Imò Electores Comites Palatinos aliquando Archiduces dictos esse, tradit Gevvold. *de Septemvir. cap. 7.* Verùm enim verò nimis laxior hæc est significatio, unde merito distingvendum nobis est inter appellationem Archiducum Oratoriam & Curialem vid. Bœcler. *Not. S. R. J. Lib. 7. cap. 2. p. 209.* Dn. Schvveder. *c. 1.* Nobis in originem Archiducalis dignitatis inquirentibus sermo non est de oratoria, siquidem hæc in nudo solum titulo consistit, sed de curiali appellatione, quæ præter nominis dignitatem specialiter etiam in jure eminentiæ à Summa Majestate concessæ radicatur, atq; ita Austriaci in Imperio nostro Archiducis titulum gerunt, & quidem soli Limn. *de J. P. Lib. 4. cap. 3. n. 26.* Schvveder. *P. Spec. S. 1. cap. 7. §. 1.*

§. IV.

Unde licet minus rectè Archiducum origo ex Arca Noæ deducatur Hermes. *Fascic. Jur. Publ. cap. 32. n. 2.* attamen res omni dubio non caret, cujus beneficio dignitas Archiducalis in Austriacos translata sit. Illustr. Dn. Struv. *Synt. F. cap. 3. a. 7. n. 17.* Alberto I à Rudolpho Habsburgensi parente suo hoc dignitatis axioma collatum esse asserit. conf. Burgold. *ad Instr. Pac. P. 1. Disc. 12. n.*

14. *seqq.* Aliis verò potius arridet sententia, Caroli IV. beneficio Austriam in id fastigium evectam esse propter singulares in Austriacis residentes animi externarumq; virium dotes, quibus & hoc annumerari posset, quod in hac familia nullus unquam tyrannus extiterit, notante Schüz. *c. l. ex Kirchner. in Morvillerio cap. 5. num. 82. lib. 2.* Alii à Friderico III. Archiducalem in Austriacos dignitatem derivatam volunt. Limn. *c. l.* Alii alios Auctores & collatores faciunt: quapropter nos intricatam hanc rem sedulis historiarum lectoribus relinquimus, quibus hæc controversia discutienda venit. Nobis interim sufficiat, nosse, nullos præter Austriacos hoc dignitatis splendore in Imperio nostro Romano Germanico fulgere. Quamvis verò passim inventi fuerint dignitatis Archiducalis compotes esse ab Imperatore efflagitantes, illos tamen hæctenus ab Imperatore illud obtinere non potuisse ex Sixtin. *de Regal. cap. 4. n. 30.* refert Limn. *c. l.* & Reinking. *de Reg. Secul. & Eccles. Lib. 1. cl. 4. cap. 10. n. 2.*

§. V.

Causam Archiducalis dignitatis solùm in Austriacos collatæ ex parte tetigimus §. *ant.* cui accedit, quod ex familia hac Summum Imperii nostri caput eligatur, proptereaq; opus sit, ut præ aliis splendore præfulgeat. Vid. Dn. Stryk. *ad Rhet. Institut. Jur. Publ.* Imò constat, præclara in Imperium merita periculaq;, quæ pro Imperio nostro Austriaca familia sustinuit, exegisse, ut specialibus ad dignitatem tantæ familiæ promovendam facientibus privilegiis insignita fuerit, adeoque rectissimè dictum sit: *Aller Ehren ist Desterreich voll.* De quo Schvveder. *P. Spec. S. 2. c. 7. §. 4.* Schüz *Vol. 1. Ex. 8. th. 6. lit. b.*

§. VI.

Omnia Serenissimæ Austriacæ Domus privilegia enumerandi, locus hic non est. Lubet tamen solum allegare, (1) Duces Austriæ non teneri investituram petere extra suas ditiones, & quidem tecto capite equoq; insidentes eam accipere, quod maximè ad eorum facit prærogativam, daß die Erzherzogen nicht schuldig seyn umb Empfangung ihrer Lehn aufferhalb des Landes Desterreich zu reisen/sondern sie sollen in demselben Lande geliebet werden/ *Item*: Ein Erzherzog zu Desterreich/so ihm sein Lehen gegeben wird/soll er sie empfangen/beleidet mit einem Fürstlichen Gewand unter seinem Erzherzog-Hütlein auff seinem Pferd sitzend. vid. Limn. de J. P. lib. 5. cap. 2. Reinking. de Reg. Sec. & Eccles. d. l. n. 16. & 17. (2) quod sessionem in Comitibus habeant post Electores primam ante Archiepiscopos, alternando tamen cum Archiepiscopo Salisburgensi *Hermes Fascic. J. P. cap. 32. n. 1. Schved. P. Sp. S. 1. cap. 30. §. 13.*

## §. VII.

Num autem adhuc hodie Imperator creare Archiduces possit, quæritur? quod affirmatur, dummodò præcaueat, ut dignitate personæ dignæ decorentur *Capit. Leop. art. 44.* Bey collation Fürstlicher &c. dignitäten vornemlich dahin sehen/damit auf allen Fall denen von uns ertheilet werde/die es vor andern wohl meritiret/ im Reich gesessen/und die Mittel haben den affectirenden Stand pro dignitate auszuführen; itemq; ne ex collatione hujus dignitatis præjudicium cæteris domibus illustribus inferatur. *Cap. Leop. d. l.* Wollen auch zu præjudiz oder Schmälerung eines alten Hauses oder Geschlechts/desselben dignität Standes und üblichen Tituls keinen/ wer der auch sey/ mit neuen prædicaten/ Tituln und Wappenbriefen begaben.

Licet verò, ut probatum dedimus, Imperator noster adhuc hodiè Archiduces creare possit, non facile tamen plures Archiduces in Germania sperabuntur, quamdiu Imperii fasces in illustrissima Austriaca Domo permanebunt. conf. Dn. Rhet. *Lib. 1. Tit. 17. §. 2.* & Dn. Schveder *P. Spec. S. 1. cap. 7. §. 1. & 2.*

§. VIII.

Præter Archiduces nomine Principum generaliter sumto etiam veniunt Duces & Comites Magnif. Dn. Præs. *Inst. Jur. Publ. lib. 3. cap. 4. axiom. 8.* de quorum origine singularitè hic erit agendum. Quod attinet vocabuli Ducis significationem & originem, de eo longa serie differit Limnæus *lib. 4. cap. 3.* Reinking. *de Regim. Secul. & Eccles. Lib. 1. cl. 4. cap. 12.* Schütz. *Vol. 1. Ex. 8. tb. 6. lit. C.* Ex quibus adduxisse nobis propositum erit, Ducis vocabulum à ducendo exercitus dictum esse, quæ sententia etiam ex Germanorum lingua stabilitur, qui Ducem Herzog vocare consueverunt, quasi Herr des Zuges. add. Dn. Stryk. *Ex. Feud. cap. 5. qu. 13.* Cum quo consonant verba du Claude Fauchet citata *Limn. d. l.* qui Duces dictos esse putat d' autant, qu' ils doivent conduire & montrer le chemin à leur gens. Unde facile patet, dignitatem hanc primitus fuisse personalem, ita, ut à populo belligerato persona bello gerendo apta primùm eligeretur, in eamque postmodum prædictæ dignitatis axioma deferreretur. vid. Dn. Conring. *Ex. Acad. de Ducibus tb. 4.* Licet verò primitus Duces, ut alii Magistratus ad tempus saltem constituti fuerint, publica tamen necessitas exegit, ut Ducibus fortiter bellum administrantibus sub conditione fidelitatis, ab initio quidem ad vitam solum certi districtus personaliter possidendi, postmodum autem hereditariò

rariò traditi fuerint, qui à possessorum nomine Ducatus dici cœperunt, ex quo factum, ut ex temporariis perpetui Magistratus facti, paulatim regalia & jura imperii ad se traxerint.

§. IX.

Hodie verò Duces dicuntur, qui tales ab Imperatore vel mediante investitura in Ducatum, vel alio modo creati fuere. Et hoc ipso recedimus ab illis, qui Duces appellari asserunt, quibus Ducatus & in Comitibus suffragiam concessa sunt, cum tamen hi ipsi negare vix possint, imò confiteantur, distincta omnino esse jus conferendi dignitatem Ducis simpliciter talem, & jus conferendi dignitatem cum adjuncto axioma status. Illam enim conferre est solius Imperatoris, quod secus est in hac, ubi præter Imperatoris collationem, Electorum ac Statuum, quibus nova dignitate ornatus adjungi debet, consensus necessariò requiritur, adeoque à parte dissentientium sequeretur, à solo Imperatore Ducem creari minimè posse, quod tamen est absurdum, & in integra hujus dissertationis materia probè præcavendum. conf. Francisc. Iren. *ad Burgold. P. 1. p. 196.*

§. X.

Seqvuntur Comites, quos etiam sub Principis nomine comprehensos arbitramur. Sunt autem hi vel (1) in genere tales, ut sub illis lateant Comites Palatini, Margravii, Landgravii &c. vel (2) Comites in specie ita dicti Magnif. Dn. Præs. *Inst. Jur. Publ. Lib. 3. cap. 5. ax. 10.* De his inferius agetur. In genere verò ita dictis Comitibus annumerantur (1) Comites Palatini, qui apud Francos præpositi devictis populis Palatiisque Principum jura subditis reddebant, ne illicò necessum foret, Principem interpel-  
lare,

lare, nisi quousq; justitiæ limite s, excederent, minusq; bene sibi subjectis præviderent. Dicuntur germanicè Pfalzgraffen. vid. Limn. de J. P. Lib. 4. cap. 4. n. 28. seqq. Dn. Struv. Synt. Feud. cap. 3. art. 7. n. 17. Dn. Schilter. de Libert. Eccles. Germ. lib. 2. cap. 7. §. 3. In Imperio nostro Romano Germanico Comites Palatini audiunt, qui in id fastigium ab Imperatore eveci sunt. Reinking. Lib. 1. Cl. 4. cap. 13. n. 34. & seq. Ex quibus hodie conspicui sunt Bavarica & Palatina familia, licet olim etiam Saxo Elector eo nomine insignitus fuerit, quo hodie non utitur, salvis tamen juri- bus exinde manantibus, cum quidam Vicariam istam Sa- xonibus & Palatinis usitatam potestatem inde deducere satagant. vid. Burgold. P. 1. Disc. 19. p. m. 328. Schvveder. Part. Spec. Sect. 1. cap. 33. §. 3. ibiq; allegat. Goldast. in Ration. ad tom. 1. Const. & Rescript. Imper. p. 99. de quatanta Bava- ros inter ac Palatinos orta controversiarum discrimina, quæ hic tangere charta vix permittit, cum utrique parti argumenta non desint, quæ ex parte recitata videri pos- sunt apud Dn. Strauch. Exerc. Exot. 3. tb. 2. §. 3.

§. XI.

II. Marchiones German. Marggraffen / quos olim à Marca sive limitum nota ita appellatos esse tradunt, cum limitibus præfecti incursionem hostium impedire cogerebantur. Conring, cit. Dissert. tb. 17. Besold. Thesaur. Pract. voc. Marggraff. Unde Gallis Marquis, Jctis verò Romanis Liminarchæ dicti l. 18. §. 10. ff. de Muner. Germa- nisq; exinde nominatus Markstein / quo fines regionum fuere terminati. Cum verò fines Imperii duplices esse possunt, idcirco duplicis generis Comitibus opus erat, qui eos ab hostium clade vindicarent, adeoque quidam custodiae maritimæ, quidam finibus continenti adhaeren-  
tibus



ribus defendendis præfuere. vid. Dn. Struv. *Synt. Feud. c. l. n. 19.* Quamvis autem hodierni Marchiones limitum defensores non sint, nomen tamen iis adhuc integrum manet, qui de Marchia ab Imperatore sunt investiti aut qui eam proprio sive hereditario jure possident per tradita Reinking. *d. l. n. 11. seqq.* Boecler. *Not. S. R. J. Lib. 7. cap. 4.* quorum præcipui, qui ex multis illis à Limn. *c. l. num. 24.* relatis supersunt, numerari solent Brandenburgenses, Mi-  
snenses & Badenses, quamvis Brandenburgenses & Baden-  
ses hodie tantummodo votum & sessionem in Comitibus habeant, ut ex Stamler. *de Reservat. p. 54. n. 4.* demonstrat Dn. Rhet. *c. l. §. 6.* Burgoldens. *Part. 1. Disc. 20. n. 23.*

§. XII.

III. Landgravii, qui judicium officio in regionibus mediterraneis functi sunt, Richter eines Landes / das zwischen des Reichs Gränzen liegt Limn. *Lib. 4. cap. 4. n. 77.* Speidel. *voc. Landgraff* / atque adeo formalis constitit differentia inter Marchiones & Landgravios, cum illi limitibus, hi mediterraneæ provinciæ jus dixerint. Hodie verò Landgravii dicuntur, qui de Comitatu Provinciali aut investiti, aut alio modo id dignitatis nomen à supremo dignitatum fonte adepti sunt. Reinking. *d. l. n. 28.* junct. Hermes. *F. J. P. cap. 33. n. 5.* Et sic etiam comprehendimus sub Landgraviis Comites de Pappenheim quæ Landgravios zu Stüßlingen / Comites Sultzenses quæ Landgravios zu Slockaw / Comites in Fürstenberg / quæ Landgravios in Warren: Quia enim titulum Landgravii gerunt, necessum est, ut eundem ab Imperatore adepti sint, licet eorum tanta dignitas non sit, quanta competit iis, qui præter dignitatem unà cum Landgraviatu sunt investiti, ex quibus hodie illustres sunt Serenissimi Duces Saxoniæ propter

E

Land-

Landgraviatum Thuringiæ, Landgravii Hassiæ, Landgra-  
vii Alsatia & Landgravii Leuchtenbergiæ Boecler. Not. S.  
R. J. *lib. 7. cap. 10.* Quod titulum Landgravii Alsatia con-  
cernit, evidentissimum, quidem est, Gallo Landgraviatum  
hunc esse concessum, propterea tamen Imperatori nostro  
titulum Landgravii Alsatia denegare nefas est, cum sub cer-  
tis saltem conditionibus & restrictionibus illa concessio  
facta sit juxta Magnif. Dn. Præs. *Inst. J. P. L. 3. c. 5. ax. 17.* Quod  
verò Argentinenses Episcopi titulum hunc usurpent, ex-  
inde est, quod Dux Ottingensis partem Alsatia jure Affi-  
nitatis sibi à demortuo sine liberis Comite ab Egisheimb  
vindicatam, Episcopo Argentinensi tunc temporis vendi-  
derit, cujus jure successores se adhuc hodie uti posse pu-  
tant. vid. Burgoldens. *Part. 1. Disc. 20. §. 24.* Landgravium  
Leuchtenbergiæ verò hodie repræsenter Maximilianus  
Serenissimi Bavariæ Electoris Patruus, tota tamen familia  
titulum etiam usurpante. Schveder, *d. l. §. 17.*

§. XIII.

IV. Burggravii, dicti à Burgo, quod castrum deno-  
tat Dn. Strauch. *Ex. Exot. 3. tb. 1. Limn. d. l. n. 80.* quia arci  
castelloq; præfecti Judices præsidii, certisque territoriis  
ad tutelam instructi erant Hermes. *cap. 33. n. 6.* qui anne  
hodie adhuc dentur, controversum esse video? Sprenger.  
*Instit. Jur. Publ. p. m. 321. in f. cum Nolden. de Nobilit. cap. 8.*  
*n. 172.* opinionis hujus est, nullos vere tales, hodie adesse  
Burggravios, cum Cæsares in liberis civitatibus nulla am-  
plius castra possident, quibus Burggravii præponantur, li-  
cet titulum sine re nonnulli sibi vindicare audent. Ve-  
rùm Resp. (1) petendo probationem ejus, Burggravios so-  
lùm castris liberarum civitatum fuisse præpositos, cum e-  
tiam fortalitorum in Provinciis positorum Præsides fue-  
rint.

rint. Resp. (2) Falsum esse, nudo titulo hodiernos esse ornatos Burggravios, cum quidam de Burggraviatu ab Imperatore sint investiti. Reink. *de Reg. Sec. & Eccl. 1. 4. 13. 43. seq.* Nec juvat Noldenium *id. l. 1. asserentem*, Serenissimis Electoribus ac Marchionibus Brandenburgensibus competere titulum Burggravii Norimbergensis absq; annexo jure, cum Fridericus Marchio jus sibi in Norimbergenses quæsitum mediante emtione & venditione iisdem cesserit. Ad hæc enim regerimus, Negando (1) omnia jura per prædictum contractum esse alienata, cum quædam specialiter reservata sint, uti patet ex diplomate relato à Limn. *d. l. n. 84. add. Burgoldens. d. l. n. 25.* (2) Posito (quod tamen fieri minime posse, citatum diploma præcipit) nullum amplius jus in Norimbergenses superesse Serenissimis Electoribus ac Marchionibus Brandenburgensibus, Nolden. tamen exinde haud inferet, nullos amplius nisi nomine tenus superesse Burggravios, cum præter eos adhuc alii nomine juribusq; Burggravorum præditi adsint, quales sunt Burggravius Magdeburgensis, Burggravius Reineccensis, Comes ab Jsenburg / Burggravius Strombergensis Episcopus Monasteriensis votum | hujus intuitu in Comitibus prætendens, de quibus in genere evolvi poterunt Dn. Strauch. *Ex. Exot. 11. th. 7.* Oldenburger, *in Limn. enucl. Lib. 2. c. 15. n. 24. & seq.*

§. XIV.

De Principibus in genere & sub iis comprehensis Comitibus in genere hæctenus pro instituti ratione egisse sufficiat. Seqvuntur Principes in specie ita dicti, de quorum origine certam dare decisionem, vix nostri erit operis & ingenii, cum & eruditissimi in ea investiganda desudent, ac *clarissimus Boeclerus* originem Principum in

Imperio vix ostendi posse asserat *Not. Sac. Rom. Imp. Lib. 7. cap. 1.* Quamobrem relicta ambigua circa Principum originem investigatione dicimus, Principem in specie dici, cui mediante investitura in Principatum Principis dignitas concessa *Limn. de J. P. lib. 4. cap. 2. n. 16.* vel qui ab Imperatore talis creatus est *arg. Cap. Leop. art. 44.* Sunt enim, qui licet status non sint, titulo tamen Principum Imperii gaudent *Reinking. d. l. cap. 1. n. 34.* Unde facile apparet, quid sentiendum sit de divisione Principum in *Reichs und schlechte Fürsten*/cum hos dici putant, qui vel, dum Principes sunt, mediati tamen ac alterius ditioni subjecti, vel qui nudo Principis titulo ab Imperatore ornati sunt; illos verò esse, qui feuda regalia ab Imperio & sessionem ac suffragium in Comitibus habent. Verùm cui haud displicuerit mecum revolvere §. 9. *hujus cap.* is ingenuè fateatur necesse est, distinctionem, quam generalem & probè observandam ibi inculcavimus, inter dignitatem Principis Imperii & Status Imperii, hinc omninò quoque adhibendam esse, cum definitio Principi Imperii à dissentientibus assignata non sit Principis Imperii ut talis, sed genuina Status Imperii. Unde non soli Principes Halberstadii, Mindæ & Camini (quorum titulorum intuitu *Serenissimus ac Potentissimus Heros Elector Brandenburgicus* plenario suffragii jure in Comitibus gaudet per *Instr. Pac. art. 11. §. 11. inf.*) Principes Hirschfeldenses (quem titulum cum annexis Juribus gerunt Landgravii Hassiæ. per *I. Pac. art. 15.*) Princeps Suerinensis & Ratzeburgensis (quæ dignitas in Duces Megapolitanos translata vid. *Instr. Pac. art. 12.*) & Principes Anhaltini soli sunt Principes Imperii, sed ii etiam qui mediatè & merè titulares sunt, quales Principes Silesiæ adhuc hodie sunt ac præter eos

Princeps

Princeps Ratzevilius, Mansfeldius ac Dux Ossolinski  
fuere.

§. XV.

Quæritur autem, num mediati Imperii Principes, qui Status non sunt, superioritate territoriali gaudeant? Huic quæstioni ut succurramus, distingvimus inter Principes, qui quoad personam & bona alterius Status potestati subiecti, & quorum persona quidem immediata, bona tamen mediatè ab Imperio recognoscunt. Illos omninò superioritatis territorialis incapaces esse evidentissimum est, cum ne Imperator quidem de plenitudine, ut Publicistæ loqvuntur, suæ potestatis illis superioritatem territorialem conferre possit, cum præjudicium exinde adscisceret Domino, cui quoad personam & bona subiacet, territoriali, quod tamen est contra Capitulationem. His superioritatem territorialem vix denegare possumus, cum personæ immediatæ & exinde fluenti effectui non obsit mediata territorii feudalis recognitio in modum sive subfeudi, sive feudi principalis, sive alodii in feudum redacti, (quod fieri posse tradit Dn. Struv. *Synt. Feud. cap. 7. tb. 10. n. 1.* imò ferè omnia Pomeraniæ feuda talia esse & germanicè *auffgetragene Lehn* vocari, constat ex Dn. Stryk. *Exam. Feud. cap. 2. qu. 16.*) cum obligatio feudalis ne quidem tollat jus Imperii Grot. *de Jur. B. & Pac. Lib. 1. cap. 3. §. 23.* Multo minus ergo superioritatem territorialem. Nec obstat eos status non esse, cum certum sit, Jurisdictionem territorialem ad Statum non restringi, quia nobiles immediati die *freye Reichsassen* licet Statibus Imperii non accenseantur, superioritate territoriali gaudent uti constat e traditis Sinoldi Schützi *Vol. 1. Ex. 9. tb. 10. Sprenger. Inst. J<sup>x</sup>ur. Publ. p. m. 330.*

Principibus specialiter ita dictis annumerantur Comites Principes die gefürstete Graffen. Sixtin. *de Regal. lib. 1. cap. 4. num. 22.* qui è Comitibus in Principes ab Imperatore euecti fuere, inter quos locum occupant Serenissimi Duces Saxoniae ratione Hennebergæ, propterea; Gefürstete Graffen zu Henneberg audiunt, iisque vi hujus dignitatis votum in Comitibus competit. confer. Magnif. Dr. Præf. *Inst. Jur. Publ. lib. 3. cap. 3. ax. 52.* & Schvveder. *Part. Sp. Sect. 2. cap. 7. in f. add. Limn. Lib. 4. cap. 4. n. 92.* & Burgold. *P. 1. Disc. 20. n. 29.* qui noviter in id fastigium euectos ex *Rec. Imp. de A. 1654. in fin.* enarrat.

§. XVII.

Hactenus de Principibus in genere & in specie ita dictis actum est. Seqvuntur Comites in specie ita dicti, qui olim nomen acceperunt, quod Præsides in Provincias abeuntes comitarentur; Cum autem ex his postea regendis & judicandis provinciis præpositi essent, pristinum nomen retinuerunt, ex quo manasse putant, ut comes idè diceretur quod Judex *Limn. de J. P. Lib. 4. c. 4. n. 3. Schütz Ex. 8. th. 7. lit. B.* Quicquid autem hujus sit, nostris moribus eum Comitem esse, qui vel de Comitatu ab Imperatore, vel aliis id jus habentibus est investitus, vel ab eo vel ab aliis, jure dignitatem hanc conferendi gaudentibus, specialiter talis creatus est. conf. Hermes. *Fastic. Jur. Publ. cap. 34. n. 1.* Diximus ab aliis etiam Comites creari posse nempe (1) Archiducibus Austriae, cum illud per specialis privilegii concessionem à Carolo V. adepti sint. (2) Comitibus Palatinis ad Rhenum ex antiqua consuetudine hoc jus exercentibus *Cluten. Syllog. rer. quot. concl. 24. lit. L.* (3) Rege Bohemiae, cum attestante *Limn. de J.*

de J.P. L.6.c.1.n.32. nemo ad quatuor Baronatus primarios in Bohemia & incorporatis provinciis admittatur, nisi ab Imperatore vel Rege Bohemiae sit talis creatus. Num autem tales in integro Imperio valeant, dubitare possemus propter verba privilegii Archiducibus Austriae concessi *In allen ihren Landen / Herrschafften und gebiethen.* Sed haec forsitan conciliari poterunt, si dicamus, in suis quidem provinciis illis solum jus dignitatis conferendae competere, ita tamen ut ad integrum imperium effectus ejus se extendat, de quo vid. Dn. Stryk. *ad Dn. Rhet. Inst. J. Publ. Lib. 1. Tit. 19. §. 2.*

§. XVIII.

An verò Vicarii etiam Comites creare possint, dubitationi locus est, cum de feudis Imperii quoque investendi potestatem habent *per Aur. Bull. cap. 5. verb. Investendi de feudis.* Ergo etiam de Comitatu aliquem investire, quo mediante dignitas Comitis etiam transfertur, eos posse concludere, nisi vel ipse contextus citati cap. exceptionem suppeditaret, excipienda esse feuda regalia, uti jam idem *cap. 1. hujus diff.* monuimus, quae *Fahnlehn* nominantur, sub quibus etiam feuda Comitum & Baronum comprehenduntur. vid. Magnif. Do. Praef. *ad A. B. tit. 5. verb. feudis Principum.* Reinking. *Lib. 1. cl. 4. cap. 16. n. 4 & 5.*

§. XIX.

Comites excipiuntur à Baronibus, quorum denominatio unde descendat, tenebras esse tradit Dn. Praef. *Inst. Jur. Publ. Lib. 3. cap. 5. axiom. 33.* imò originem vocis adeo controversam esse, ut tot fere sint derivationes, quot scriptores, nonnullis illam ex Graeca, aliis ex Hebraica, quibusdam ex Latina, aliis ex Hispanica, aliis Gallica, aliis Ger-

Germanica lingua deducere conantibus, uti Schütz Ex. 8. *tb. 7. lit. C.* & Schvveder. *Part. Spec. Sect. 2. cap. 8. §. 2.* ex allegatis ibidem Auctoribus referunt, quapropter curiosa hujus rei relicta inquisitione dicimus, Barones esse, qui ultra Nobiles simplices locum habent, & vel de Baronatu investiti, vel specialiter absq; territorio tales creati sunt ab imperatore, vel alio dignitatis conferendæ jus habente, in quo cum Comitibus conveniunt, quod qui creare possit Comites, possit etiam creare Barones, & vice versa. Anne verò ejusdem dignitatis sint Baronis cum Comitibus, variè disputatur? Schütz *del. lit. D.* affirmativam tuetur, cum tamen probabilius ii procedant, qui in Comitibus quoad sessionem & votum eos pari jure & dignitate frui, extra comitia verò discrimen inter eos nomine & ordine imò dignitate esse statuunt, cum proinde certum sit, nullum Comitem hactenus dignitatem Baronis ambiisse bene tamen Barones factos esse Comites, de quo tamen securi & minus solliciti esse possent si pari dignitate ornati essent. Vid. Magnif. Dn. Præs. *ad Aur. Bull. tit. 8. num. 50.* ubi eruditè von den Freyen / Freyherrn / Semper Freyen & absolutè Herren / Baronibus in specie & Edlen Herren differit. Cætera quæ de Baronibus addi debeant *benevoli Lectoris industria* facile suppleri poterunt ex iis quæ tam de Comitibus in specie ita dictis, quàm de Principibus anticipavimus.

CAP.



CAPVT ULTIMVM

*De Jure Creandi Nobiles.*

§. I.

PERlustratis hactenus variis ac in Imperio nostro Romano-Germanico conferri solitis dignitatibus, postremo loco, ordine ita exigente Nobiles considerabimus, quisnam eos in Imperio nostro RomanoGermanico creandi potestatem ac jus habeat. Antequam verò progrediamur ulterius, in antecessum monere placet, non intelligi hîc Nobiles in ambitu suo, sive lata significatione, sed strictè sic dictos, *qui per expressum Nobilitatis diploma hac dignitate ornati, atq; plebejorum numero exempti sunt.* Quod verò concernit rē Nobilis denominationem eam varie explicari, constat, ita, ut si quâ unquam inter homines varios liceat deprehendere lusus in derivationibus atque verborum originibus deducendis, eos in voce Nobilis etiam deprehendi judicet *Limn. lib. 6. c. 1. n. 1. & Schütz Vol. 1. Ex. 9. th. 1.* Mihi præ multis placet ea, quam *Limnæum d. l. n. 5.* sequutus approbat *Dn. Rhet. lib. 1. Tit. 19. §. 1.* à noscendo Nobilem dici asserens, *quod propter collatam sibi dignitatem præ cæteris Noscibilis sit.* Germanis ein *Edelmann* dici consuevit, de quo multa congeffit *Lehman. Chron. Spir. Lib 2. cap. 14. cap. 18. 19. cap. 23. & passim.* De variis autem diversis in regnis totius orbis Nobilibus, eorumq; nominibus plenissimè consuli potest *Excell. Dn. Becmann. Not. Dignit. Illust. Diff. XI.*

§. II.

Quibusnam autem hoc jus in Imperio nostro competat, primaria circa hanc materiam quæstio erit, cui pro

F

acade-

academica libertate inquirendæ, exiles ingenii nervos unice intendemus, ubi statim dubitationi locus nullus est, quin Nobilitare possit Imperator noster Augustissimus, cum in antecedentibus probatum dederimus, ab eo tanquam fonte omnium dignitatum rivulos profluere & Regiam Principalemq; dignitatem conferri *vid. huj. Dissert. cap. 1. §. 2.* adeoque multo minus nobilitatem concedi posse, quod tam ex experientia, quam ex hoc etiam clarum est, *in majori includi minus.*

§. III.

Sicuti igitur satis dilucidum illud est, ita pari facilitate demonstrari potest, à Rege Romanorum post Imperatoris mortem electo, vi competentis sibi potestatis Jus Nobilitandi exerceri posse. *Vid. Capit. Leop. art. 44. verb. Im Nahmen eines Römischen Königs &c.* Quod vero spectat vivo Imperatore Electum Regem Romanorum, an & hic jure proprio nobilitare possit, controversum esse video. Affirmat id *Limn. c. l. n. 30.* assertionem suam firmare intendens *ex Rec. Imp. de An. 1548. §.* *Wiewohl auch in der Ringerungshandlung/daß die Grafen und Herren so fürklich ihre dignität erlanget/soltten in recognitionem præminentia, so sie von uns und unsern freundslichem lieben Bruder dem Römischen König empfangen &c.* Cum tamen ex hoc ipso, §. contrariam sententiam potius quis defendere possit: Verba enim dem Römischen König intelligenda esse certum est, quatenus potestas nobilitandi ab Imperatore Regi Romanorum in casum absentia vel alterius impedimenti est commissa: Imò ipse *Limn. ad Capitul. Rudolphi II. art. 32. n. 18.* potestatem Regis Romanorum à commissione Imperatoria dependere fateatur, unde fuit Regi Romanorum non ordina-

dina-

dinariam sed delegatam competere jurisdictionem, conf.  
*buj. Dissert. cap. 1. §. 3.*

§. IV.

Num verò jure Nobilitandi Vicarii Imperii quoq; fruuntur, pro & contra disputatum esse, apparebit ex iis, quæ attulit Hermes *Fascic. Jur. Publ. cap. 36. qu. 9.* Nobis affirmativa sententia arridet, quod omnia quæ Imperatori reservata, & simul Vicariis specialiter prohibita non sint, ab iis tanquam concessa & relicta exerceri posse videantur, cum prohibitio & exclusio quorundam inducat concessionem & inclusionem aliorum add. Magnif. Dn. Præs. *ad A.B. Tit. 5. n. 32.* Jam verò quia potestas nobilitandi specialiter Imperatori reservata, simul tamen Vicariis excepta non est, idcirco eos Nobilitatem conferre posse, negari vix potest,

§. V.

Jam ad intricatissimam hujus materiæ controversiam dilabimur, num quoque Serenissimi Electores ac Status Imperii Nobilitate decorare possint benè meritos? Ubi quidem extra omnes dubitationis limites positum esse, quis non videt? *Potentissimo ac Serenissimo Electori & Heroi Brandenburgico* Jus Nobilitandi vi supremi in Prusiam Imperii (quod in SERENITATEM POTENTISSIMI ELECTORIS per pacta Velavii inita translatum esse, ex *anteced. cap.* adductis sole meridiano clarius est) quæsitum esse, ut ubiq; ab eodem creati Nobiles valeant, quod à POTENTISSIMO HEROE in summè demeritos collatæ Nobilitatis præmia privilegiaque omnium oculis exposita satis comprobant ac contestantur. De cæteris verò Serenissimis Electoribus ac Statibus quid dicendum sit, an & intuitu ejus, quod Electores

F 2

ac Sta-

ac Status sint, Nobilitatem elargire valeant, non omnes omnino inter se conveniunt, dum magna Publicistarum cohors in diversa sententiarum divortia dilabatur? Mihi in præsentem affirmativam cum Illustr. Dn. Rhet. *Inst. J. P. Lib. I. Tit. 13. § 3.* pro tenuitate ingenii defendendam esse, juris publici rationes suadent. Susceptum ergo in me disputandi munus exigit, ut allata contrasententium argumenta intuear, responsioneque aliquali excipiam.

Opp. 1.

*Quæcumq; feuda generaliter conceduntur, cum eorum generali concessione non transferuntur Regalia:*

*Atqui Electoratus, Ducatus &c. sunt feuda & generaliter quoq; conceduntur.*

*E. Cum generali Electoratum, Ducatum &c. concessione non transferuntur Regalia.*

Resp. Huic argumento satisfieri potest ex iis, quæ habet Magnif. Dn. Præs. *ad Aur. B. Tit. 20. n. 41.* ubi dicit, cum generali concessione feudorum non transferri Regalia, quando potestati concedentis liberum est, sub quam qualitate alicui feudum conferre voluerit: quæ ad majoris propositionis limitationem erant afferenda; Jam verò sic limitata majore sponte sua corrumpitur minor propositio, cum in potestate Imperatoris vix sit positum, secundum beneplacitum suum, vel generaliter, vel specialiter Electoribus ac Statibus feuda concedere, quoniam vi Capitulationis non possit præjudicare Electoribus ac Statibus eodem, quo ab antiquo fieri consuevit, more investendi. Jam verò Electoribus ac Statibus unà cum collatione feudorum antiquitus potestatem Nobilitandi datam

tam tacitè fuisse, patet, quia tanta in suis gaudent territoriis potestate, quanta Imperator in Imperio.

Argum. 2.

*Quaecunq; specialiter Imperatori fuere reservata, ea non competunt Electoribus.*

*Atqui Jus Nobilitandi specialiter Imperatori est reservatum.*

*E. non competit Electoribus & Statibus.*

Minorem propositionem stabilire conantur ex Capitul. Leop. art. 44. verb. Darfür im Reich nicht geachtet werden.

Resp. Limit. Majorem propositionem. *Quaecunq; specialiter Imperatori fuere reservata, ea non competunt Electoribus & Statibus* scil. eodem modo. Sic limitata majore possemus concedere totum argumentum: Nostra enim mens minimè intendit inferre, eodem modo, quo Imperatorè, Electores ac Status nobilitare, cum hi Nobilitatem in suis solummodo conferant territoriis, Imperator verò nobilitet per totum Imperium, ac in Statuum territoriis juxta Generosiss. Lib. Baron. Dn. à Frisen in *Dissert. Acad. de Jure Principis extra territorium.* sub Præs. Dn. Stryk. habitâ cap. 1. n. 159. quò referenda putamus Capitulationis verba in Reich sc. ganzem Reich.

Instant. 3. *Quaecunq; specialiter conceduntur, ea ipso jure non competunt.*

*Atqui jus Nobilitandi specialiter conceditur.*

*E. ipso jure non competit.*

Majorem claram esse putant. Minorem probant ex eo, quod Archiducibus Austriae, concessum speciale Nobilitandi privilegium esset frustraneum, si ipso jure hoc competiisset. Ad hæc Resp. (1) Privilegium Archiducibus

bus Austriae concessum non tam agere de Nobilium quam  
Comitum ac Baronum creandorum potestate secundum dicta  
*Antec.c.* atque adeo in hoc privilegio primario respici creati-  
nem Comitum ac Baronum, secundario vero aliquam in eo  
de creatione Nobilium ipso jure competente declaratio-  
nem ac confirmationem contineri. vid. Magnif. Dn. Praef.  
*ad A.B.c.l.* Resp. (2) Archiducis Austriae ac Comites Pa-  
latinos Rheni illud privilegium adeptos esse, ut creati à  
se Nobiles per integrum Imperium Romano-Germani-  
cum valeant. vid. praes. Lib. Baron. Dn. à Frisen *d. Diff.*  
*cap. 2. n. 67.*

§. VI.

Apparet ergo; Electoribus ac Statibus Nobilitandi  
jus in suis territoriis denegari non posse, cum, ut supra  
dictum est, tantum possint Electores ac Status in suis ter-  
ritoriis, quantum potest Imperator in Imperio. Sicuti e-  
nim Leges universales in Imperio Imperator, ita Provin-  
ciales die Hoff- und Landgerichts-Ordnung quilibet Elector  
ac Status in suo condit territorio. Sicuti porrò Impe-  
ratori collectas generales die Reichssteuer per totum impe-  
rium, ita Electoribus ac Statibus Imperii provinciales col-  
lectas imponendi potestas die Landsteuer anzulegen jure su-  
perioritatis territorialis competit. Dn. Myler, ab Ehren-  
bach *de Princip. & Statib. Imp. P. 2. cap. 62. §. 2.* Sicuti deni-  
que universales postas per Imperium instituere valet Im-  
perator ita easdem constituere in suis territoriis pos-  
sunt Electores ac Status, ut tamen haec potestas, prout  
anticipavimus, territoriorum limitibus includatur. add.  
Illust. Dn. Rhet. *Inst. J. P. Lib. 1. Tit. 4. §. 63. & Lib. 2. cap. 20. §. 3.*  
Dn. Schvveder. *P. Sp. S. 1. c. 18. §. 9. & S. 2. c. 15. §. 9.*

§. VII.

Quin noviter ab Imperatore creati Nobiles etiam in aliis Regnis valeant, nullum est dubium: Licet enim quidam ejus sint opinionis, ac si exinde in aliis regnis non habeantur pro nobilibus quia Imperator aliis Regibus invitis hoc obtrudere non possit *arg. l. fin. ff. de Jurisdic. dict.* Hoc tamen argumento negativam evincere vix poterunt, dum mutua hominum propensio studiumq; alios juvandi contrarium svadeat, omneq; bonum sit communicativum sui Excell. Dn. Becm. *Medit. Polit. cap. 16. §. 3.* Imò sic ut Reges & Principes præstant id aliis, quod sibi præstari efflagitant, & ne alia gens contra aliam retorsionis jure utatur, mutuo consensu Gentium introductum est, ut qui Nobilis est in uno, sit etiam in alio regno.

§. VIII.

Coronidis loco annectere placet quæstionem sæpissimè occurrentem, an Imperator Nobilitate benemeritos ita possit, ut statim ad torneamenta s. ludos Equestres & Canonicatus in Capitulis majoribus admittantur? Quamvis igitur, notissimum quidem sit, ad Torneamenta Canonicatusq; in Capitulis non admitti, nisi regulariter 16. majores suos nobiles ostenderit 8. ex patre, totidemque ex matre, inde tamen inferre quispiam vix poterit, circa hunc honorem ab Imperatore dispensari non posse, cum Nobilitas sit virtutis præmium. Si ergo maximis decoratus virtutibus adfuerit, crediderim, Imperatoris potestatem in tantum etiam extendi ut eundem Nobilem in hunc casum omninò creare possit, modo hanc clausulam Nobilitatis diplomati insertam voluerit: *Al- lermassen und dergestalt/als wann sie von ihren Ahnen/Wa- ter und Mutter Geschlechtern beyder Seiten der recht Edel- gebohrne*

QH 77 K 1552

geborne Lebens-Turniergenossen und Rittermäßige Leuth ge-  
bohren wären. add. Sprenger. *Inst. Jur. Publ. Lib. 1. cap. 8. p.*  
*m. 46. seq.* Stamlerus *de Reservat. §. 56. n. 5.* Et hæc sunt  
quæ pro tenuitate virium proferre & declarare potui.  
Plurima, quæ circa hanc discutienda supersunt materi-  
am, nostra non facimus, cum adistente Divino Numine  
scopo, quem in Exercitio Academico quis proponere sibi  
consuevit, me pro tantillo, quo Juris publici atrium vix  
ingressus sum, tempore satisfacisse aliquo modo

putem. DEO IGITUR SIT LAUS  
HONOR ET GLORIA.

F I N I S.



**O**Mine felici *Logogriphi* tendis ad alta,  
Et *meliora*. Tibi finxit præcordia Titan  
De *meliore* luto. *Magnatum* maxima Jura  
Pandis præstanti cum laude paratus. Opima  
Præmia *Magnatum* meritò tibi destinat Aula.

*Ita*

*Præ-Eximio Dno. Authori animitus  
gratulat. hæc amicâ m. & m. scrib.*

JOHANN-VOLK. *Bechman* / D.  
Rector Academiae designatus.



VDT7





B. H. II, 130  
h. 36, 7.

DIS

DIC  
REN

IL


D N.  
HERE

Antecesfor  
Palatino  
P.P.

Dn. Pa  
omni be

JAC O

de Jure



RIS PUBLICI

CONTE-  
O ROMA-  
ICO,

INDVLTV  
lana,

Beschmann /  
n = Tröbra / Jcto.

mp. Exempto, Comite  
. Publ. Feud. & Novell.  
abinat. ac Facultatis  
imo

Præceptore suo  
nquam non deve-

ORUM  
submittit

CUS Besserer

al.  
XXXV.

ANO,  
in Imperio Rom. Ger-  
s. Vol. XXI. 35.

II k  
1552

